

Johann Gottlieb Möller Joachim Ernst Hörlitz

**De Seculi II. Scriptoribus Medicis ac Philologis, Et Seculi III. Scriptoribus Ecclesiasticis, ac Philosophis, Ex Chronologico Illustris Viri, Hermanni Conringii, de Universae Eruditionis a N. C. Propagatione, Eiusdemq[ue] Scriptoribus, Commentario, Nunc Primum e Msc. A Se Edito, in Disputatione Philologico-Philosophica, d. XXIX. Novembr. A. C. M DC XCVII. In Maximo Athenaei Gedanensis Auditorio, Jesu Gratia Moderante, Solenniter instituenda placide disquiret,**

Gedani: Stollius, 1697

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn796463204>

Druck Freier  Zugang





B6. 1053<sup>1-31.</sup>

2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.

16.  
17.  
18.  
19.  
20.  
21.  
22.  
23.  
24.  
25.  
26.





6.

DE  
**SECULI II.**  
SCRIPTORIBUS MEDICIS  
ac PHILOLOGIS,

<sup>Et</sup>  
**SECULI III.**  
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS,  
ac PHILOSOPHIS,  
Ex CHRONOLOGICO

ILLUSTRIS VIRI,  
**HERMANNI CONRINGII,**

*de UNIVERSÆ ERUDITIONIS à N. C. PROPAGATIONE,  
EJUSDEMQ; SCRIPTORIBUS, COMMENTARIO,  
NUNC PRIMUM è MSC. A SE EDITO,*

in

DISPUTATIONE PHILOLOGICO-PHILOSOPHICA,  
d. XXIX. Novembr. A. C. M DC XCVII.  
IN MAXIMO ATHENÆI GEDANENSIS AUDITORIO,

JESU GRATIA MODERANTE,  
Solenniter instituendâ, placidè disquiret,

PRÆSES

**JOH. Gottlieb MOLLERUS,**  
D. PP. D. & Bibliothecarius.

Respondente

**JOACHIMO ERNESTO HÖRLITZ, Gedanensi,**

*G E D A N I,*

Typis JOHANNIS-ZACHARIAE STOLLII.

7.

16.

17.

18.

19.

20.

22.

23.

24.

25.

DFG

VIRIS:

ILLUSTRI;

MAGNIFICIS, MAXIME STRENUIS;  
SUMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO;  
GENEROYSIS, CONSULTISSIMIS;  
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,

DN. GABRIELI SCHUMANNO,

BURGGRABIO REGIO, ET INCLUTÆ  
GEDANENSIMUM CIVITATIS PRÆCONSULI INCLUTO,

DN. DANIELI Schlieff/

DN. CONSTANTINO FREDERO,

DN. ANDREÆ Borckman/

DN. JOHANNI KOLKAU,

DN. JOACHIMO HOPPIO,

ILLIS, SCHOLARCHIS MERITISSIMIS.  
SINGULIS VERO CONSULIBUS SPLENDIDISSIMIS.

DN. SAMUELIS CHELGIGIO,

S. S. THEOL. DOCTORI, ET P. P. ATHENÆI GEDANENSIS  
RECTORI, ACAD SS. TRINITATIS PASTORICELEBERIMO,  
VIGILANTISSIMO.

DN. FRIDERICO Gottlieb Engelcken/

DN. JOHANNI ALBERTO Rosenberg/

NOBILISSIMI, QUODIN URBE PRIMARIA EST, DICASTERII  
ASSESSORIBUS FULGIDISSIMIS.

DN. MICHAELI TESSIN,

DN. JOH. ERNESTO OELHAFEN,

DN. PAULO Botten/

QUARTARUM MAGISTRIS LONGE SPECTATISSIMIS,  
DOMINIS SUIS PATRONIS ET MOECENATIBUS OPTIMIS.

MAXIMIS

Pagellas hæc philosophicas, ut prima subjectæ mentis  
indicia, sub spe ulterioris in Tenuitatem suam Patrocinii, cum  
ardentissimo Prosperitatis voto, submisissimè offert, cliens  
ILLORUM & Cultor devotissimus devinctissimusq;  
Joachimus Ernestus Hörlitz, Gedanensis.

SECULI SECUNDI Caput IV. De Medicis.

CAPUT. IV.

De

M E D I C I S.

I. Floruerunt etiam hoc Seculo omnes MEDICORUM Sectæ, antehac enatæ, et si minus claris auctoribus. Præter hos verò HIPPOCRATICA quasi revixisse videtur, HIPPOCRATIS Scriptis, solitò diligentius & acuratus à nonnullis commentario illustratis, qui & anatomen corporum, longè, quam ante hanc erat factum, accuratiùs exercuerunt.

II. Accessit & sub finem hujus Seculi Nova SECTA, CLAUDIO GALENO Auctore.

III. Atque ex reliquis Sectis nemo quidem est, quem opera pretium sit hic commemorasse.

IV. In Methodicis verò seu THESSALI sectatoribus, TRAIANO Cæsare, admodum floruit SORANUS EPHESIUS, cuius Scriptorum fragmenta hodieque exstant; OLYMPIANUS item, & post, hujus discipulus, APOLLONIDES, ac hujus itidem sectator, sub finem Seculi, JULIANUS, quem & audivit Alexandriae, & post acerrimè refutavit GALENUS. Pertinere videtur ad hanc tempora etiam CÆLIUS AURELIANUS AFER, qui latino, minus tamen compto sermone, SORANI Libros transcripsit, & nunc Methodicæ Sectæ unicus Scriptor supereft,

V. Initium seculi attigerunt (ut de HIPPOCRATICIS seorsim agamus;) SABINUS & RUFUS EPHESIUS

7.

16.

17.

18.

19.

22.

23.

24.

25.

SECVLI SECUNDI *Caput IV. & V.*

SIUS, uterque HIPPOCRATIS commentator.  
VI. ADRIANO CÆSARE, DIOSCORIDES ALEXANDRINUS, & ARTEMIDORUS CAPITO, vixerunt, qui tunc operis collatis de novo ediderunt in vulgus Scripta HIPPOCRATIS. Huc etiam pertinet ATHENÆUS ATTALENSIS. Memorat GALENUS passim PELOPEN, & SATYRUM, HADRIANI circiter ætate, utrumque Magistrum suum, & summum Anatomicum, illum NUMESIANI, hunc QUINTI Auditorem. Paulò post vixit & LYCUS MACEDO, à GALENO singulari Libro oppugnatus; sed horum vix quicquam superest, præter paucula RUFFI. Valdè autem verosimile est, ætate GALENI floruisse ARETÆUM CAPPADOCEM, cuius scripta hodiè in admiratione sunt Doctorum Virorum.

VII. At imprimis finem seculi, imò M. ANTONINI, COMMODI, & SEVERI tempore, exornavit clarissimus GALENUS, qui omnes omnium temporum Medicos, & eruditione, & Scriptorum multi udine quam longissimè superavit, ut meritò, ceu numen aliquod artis ejus, à doctissimis quibusque habeatur.

CAPUT. V.

*De*

PHILOLOGIS.

I. Secundum hoc seculum in HISTORICIS nonnullos habuit GRÆCOS Scriptores, satis præclaros. TRAIANO enim IMPERATORE, floruit PLUTARCHUS, cuius in Philosophis antè meminimus; ADRIANO CÆSARE

SECVLI SECUNDI Caput V. De Philologis.

SARE, APPIANUS ALEXANDRINUS, ÆLIANUS  
variae Historiae Scriptor, PAUSANIAS item, qui tam  
curiosè Græcorum Antiquitates memoriae tradidit;  
& PHLEGON, libertus ADRIANI, nobilis ille Chrono-  
logus, cuius tamen scripta hodiè desiderantur. ANTONINO  
PIO CÆSARE, vixit ARRIANUS, quem antea inter  
STOICOS SCRIPTORES laudavimus, Rhetor & Advocatus  
Nicomediensis; MARCO CÆSARE, POLIAENUS floru-  
it, cuius habemus Stratagemata; & fortè, DIOGE-  
NES LAERTIUS, quiscripsit Vitas Philosophorum.

II. Non desunt etiam HISTORICI LATINI, etsi neq;  
cum græcis, neque cum iis, qui antecesserunt, gentis  
suæ comparandi. Non enim hic denuo TACITUM  
memorabimus, etsi sub TRAIANO floruerit. Pertinet huc  
SVENTONIUS TRANQUILLUS, Adriano Cæsari à  
Libellis, & qui non multò post vixit, JUSTINUS, Tro-  
gi POMPEII Epitomator. Seculo etiam hoc creditur vixisse,  
& quidem HADRIANI ætate, FLORUS; cuius compen-  
dium exstat Historia Romanæ lectu dignissimum.

III. RHETORUM in classe, cum primis adeptus est  
nomen, HADRIANO CÆSARE, HERMOGENES TAR-  
SENSIS, in ipso adolescentiæ flore; nam juvenis sta-  
tim in dementiam incidit immedicablem. ORATORIO  
STUDIO dedius etiam fuit PLINIUS SECUNDUS,  
Epistolarum scriptor, ætate TRAIANI; & A. GELLIUS,  
qui Noctes Atticas exaravit, ANTONINO PIO circiter im-  
perante.

IV.

7.

16.

17.

18.

19.

22.

23.

24.

25.

SECULI SECUNDI Caput V. & SECULI III. C. I.

IV GRAMMATICUS quoque & POLYHISTOR admirabilis,  
*ATHENÆUS*, cuius hodiè superant ~~deinceps~~ *Phisica*; nec  
non *JULIUS POLLUX*, Lexicographus insignis, sub  
finem Seculi floruerunt.

V: Poëtarum Aliorumque Scriptorum nihil hodiè su-  
perat, quare non est, quod hic eos commemoremus.  
Videtur tamen ad hoc ipsum Seculum pertinere etiam  
*LUCIANUS*, quem dubites, PHILOSOPHISNE, an HISTO-  
RICIS, an verò ORATORIBUS debeas annumerare, utpote  
qui cum omnia ferè isthac noverit, omnia tamen riserit.  
Vixit etiam hoc seculo tempore SEVERI Imperatoris, NE-  
STOR quidam *LARENDENSIS*, Pisandri Pater,  
qui *Iliadem* non invitâ Minervâ scripsit, ut DELIO censem.

SECULI III.

CAPUT I.

*De*

SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

I. T'ertium Seculum magis magisque paulatim  
Christianis Doctoribus coepit florere, acceden-  
te ad pietatem etiam eruditione, quam vocant, seculari.  
Itaque Oriens pariter ac Occidens, hoc tempore ha-  
buit Christianos doctos & eloquentes, quorum alii pro-  
pugnaverunt FIDEI VERITATEM CATHOLICÆ, aut contra  
Gentiles, aut contra Hæreticos; alii Scripturæ S. inter-  
pretationi & explicationi dederunt operam, quod ha-  
ctenus

*De Scriptoribus Ecclesiasticis.*

Etens minori studio & diligentia erat factum; alii de-  
nique **MORES ET VITAM CHRISTIANAM** erudiverunt.

II. Nam initio hujus seculi vixere adhuc duo illa  
Lumina, ob variam eruditionis scientiam imprimis  
admiranda: **TERTULLIANUS** in Africa, & in Egy-  
pto **CLEMENS ALEXANDRINUS**, Presbyter &  
Scholae Theologicae Magister; **MINUTIUS** item FE-  
LIX *Octavium* suum, h. e. *Apologiam pro Christianis*,  
contra vulgi calumnias, **SEVERO IMPERATORE** circiter,  
conscriptis & Historiae, ad gentiles, qui *Doctrinam*  
*Christianam* novitatis titulo infamabant, convincen-  
dos, fundamenta primus jecit **JULIUS AFRICA-**  
**NUS**.

III. Medio seculo **CLEMENTIS ALEXANDRINI** Auditor  
fuit **ORIGENES ADAMANTIUS**, Vir plane stu-  
pendæ, etiam in Platonicâ Philosophiâ, peritiæ, nisi ni-  
mium ingenio confisus, multa semina variarum hære-  
sium sparsisset. Hic est ille, qui primus Christianorum  
edidit illa omni antiquitati celebrata **V. T. VOLUMINA**,  
**HEXAPLA**, & **OCTOPLA**, per columnas VI. vel VIII. divisa, ita  
scilicet, ut dupli Hebræo Textui, altero Hebræis, al-  
tero græcis Characterib⁹ exarato, vel IV. Græcæversio-  
nes, una LXX. **INTERPRETUM**, altera **AQUILÆ PONTICÆ**, tertia  
**SYMMACHI**, quarta **THEODOTIONIS**; vel VI. duæ nempe **INCER-**  
**TORUM** Auctorum, noviter repertæ, præter quatuor  
haec tenus enumeratas, jungerentur. Primus itidem  
hic, in universam Scripturum Sacram commentarios  
scri-

7.

16.

17.

18.

19.

20.

22.

23.

24.

25.

26.

27.

28.

29.

30.

SECULI TERTII Caput I.

scripsit, sed, minus fortè probandâ ratione, omnia ad allegoriâ deflectit. Idem *LXX. SENIORUM VERSIONEM*, singulari studio emendatam, & cù *THEODOTIONIS* versione collatam, additis obeliscis & asteriscis, edidit.

IV. ORIGENI suppar fuit *AMMONIUS ALEXANDRINUS*, qui Evangelicam omnem historiam, secundus post *TACIANUM*, in unam harmoniam redegit; nec non *LUCIANUS*, Presbyter Antiochenus, qui ad Codices Hebraeos græcam *LXX. INTERPRETUM VERSIONEM* exigere, & in integrum restituere, est conatus. Ex quo liquet, uno hoc seculo duas editiones veteres novas, & duas versiones novas græcas *Veteris Testamenti* prodidisse.

V. Non multò pòst ORIGENEM floruerunt: *CYPRIANUS* Carthaginensis Episcopus, & *GREGORIUS*, ob virtutem miracula edendi, *THAUMATURGUS* dictus, ORIGENIS Discipulus, quem tamen Scriptorum hodiè superstitione multitudine superat sanctissimus ille Martyr *CYPRIANUS*, in cuius Libris, eloquentiamne an pietatem præferas, magnum dubium est. Huic coævus fuit *DIONYSIUS ALEXANDRINUS EPISCOPUS*, magnæ olim Auctoritatis Vir, sed cuius fere nihil est reliquum.

VI. DIOCLETIANO IMPERATORE, *ARNOBIUS*, VII. contra gentiles *Libros* exaravit, doctos quidem, stylo tamen asperiore.

VII. Eodem seculo, à Judæo, *RABBI JOCHAN NANE*

SÈCULI TERTII C. II. *De Philosophis.*

**N**ANE, TALMUD, quod HIEROSOLYMITANUM dicitur, conditum est, non magnæ adeò apud Judæos hodiè auctoritatis, ob prævalentem, Talmudis Babylonici Auctoritatem.

—  
**CAPUT II.**  
*De*  
**PHILOSOPHIS.**

I. **S**eculo hoc tertio sectæ pleræque Græcorum Philosophorum valdè videntur defecisse, & quidem, quantum judicio licet assequi, eò, quòd, cùm de divinis valdè inaniter & ineptè philosopharentur, non invenirent applausores, prævalente ubivis Philosophiâ Christianâ. Itaque nec veros Philosophos PERIPATETICOS, nec STOICOS, nec EPICURÆOS, nec PLATONICOS denique, posthæc invenire est, hoc est, qui Magistrorum suorum placitis omnino adhæserint, sed potius, qui PLATONICI & PYTHAGORICI appellabantur, sua Dogmata de Deo & rebus divinis, cum Aristotelis Naturali Philosophiâ & Logicis artibus conjunxerunt.

II. Talis mediò seculò imprimis claruit **PLOTINUS**, ex Ægypto oriundus, PLATONICUS vulgo habitus, cuius Libri in *Enneadas* à PORPHYRIO Discipulo digesti, hodieque superant; Vir, ob eruditionem inter

16.  
17.  
18.  
30.  
22.  
24.  
25.

SECULI TERTII CAPUT. II. *De Philosophis,*

ter suos facile Princeps, summæque olim Auctoritatis, adeoque & cognomentum adeptus.

III. Ex eodem ordine fuit & *DIONYSIUS LON-  
GINUS*, melior tamen Philologus, quam Philosophus, etiam Plotini judicio, sed hujus nihil nunc Philosophici exstat.

IV. In Auditoribus & Discipulis Plotini, deficiente seculo, floruerunt præ aliis *AMELIUS*, & *POR-  
PHYRIUS* seu *MALCHUS*, Tyro oriundus, quorum Illius quidem scripta omnia interciderunt; Hujus nonnulla hodieque leguntur, superfuturis pluribus, nisi XV. voluminibus Christianam Religionem oppugnasset, quæ post Cæsareo Decreto, quod in *Actis Con-  
cilii Ephesini* habetur, sunt combusta.

V. Videtur etiam ad hoc seculum potius, quam ad sequens referendus *DEXIPPUS ERENNIUS*, ob conscriptos Commentarios in Aristotelis *Categorias*, Philosophis annumerandus, quanquam Historia nobilior exstiterit.

VI. *PERIPATETICAM* quoque seu *Peripateticæ* affinem Scholam, *DIOCLETIANO IMPRATORE*, scribitur aperuisse *A-  
NATOLIUS*, religione Christianus, cuius tamen ho-  
diè nihil supereft, quanquam olim inter primos habi-  
tus fuerit. Ubi notandum omnes omnium sequen-  
tium seculorum homines doctos, tametsi in rebus divinis  
ab *ARISTOTELE* dissenserint, in *Logicis* tamen, *Physicis*,  
*Politicalis*, & ex parte *Ethicis*, penè omnem Aristotelis  
Philosophiam approbabæ.

## ADDITAMENTA

Declarando Auctoris Textui inservitura.

I. **E**ruditionis, quam vocant, secularis ad Pietatem accessum, quanti semper fecerit Ecclesia, vel solus docere potest GREGORIUS NAZIANZENUS, in Oratione funebri Basilio habitâ: apud omnes, inquiens, sanæ mentis homines constat, externam illam eruditionem primas inter humana bona tenere, & pravo judicio, ut insidiosam & periculosam, atque procul à Deo avertentem à multis Christianis repudiari. Imò nullo modo ea ideo contemnenda, quod ita quibusdam videatur, sed potius insulti atq; praeposteri habendi, qui sic existimant, quique omnes sui similes esse optant, ut privata eorum ignorantia, communis ignorantie tenebris obtegeretur, nec quisquam ipsorum inscientiam proderet & coargueret.

V. Auctorem Sec. III. C. I. n. I.

II. Non est inter Scriptores Ecclesiasticos, de quo plus variant judicia Eruditorum, quam CRIGENES, quæ si dignè examinari debeant, de ipsa Origenis Vitâ Doctrinâ & Gestis judicium ex triplici Scriptorum genere fieri oportet. Primum constituant fragmenta, quæ ceu indubitate fidei à variis auctoribus nobis sunt conservata; — alterum genus constituit collatio eorum scriptorum, quæ Origenis quidem, licet non sine adulteratione esse putentur; In quorum uno, si que sententia Origeni adscribatur, nisi plerorumq; cœterorum Testimoniorum fulciatur, Origenis esse nunquam facile credendum; — at verò quæ in plerisque occurrunt, quam probabilissime Origenis esse dicuntur, cum tam multi, tamque diversi translatores & editores in unam eandemque falsationem convenisse intelligi non possint; ultimi denique generis sunt, quæ vel merè historica exhibent, ceu Eusebius, Socrates, Sozomenus, Evagrius; vel ita venerantur Origenem, ut navos ejus & errores non abscondant; ceu docet

7.

16.

17.

18.

30.

22.

2.

24.

23.

Additamenta declarando Auctoris Textui inservitura.

docet ex professo incomparabilis (quem Deus servet!) antiquitatis ecclesiasticæ Vindex, FECHTIUS, in Dissertatione de Origine & Orientanis, quæ nihil plenius, nihil præstantius, in difficillimâ hâc extare materiâ, Viri eruditissimi, inter adversarios etiam ipsos, dudum agnoverunt. v. Auctorem Sec. III. Cap. I. n. 3.

III. Præclarum, tantisque Viris dignum est monitum, quod celeberrimi Philosophie Burgundicae Veteris & novæ Auctores, ingenuis Philosophiæ cultoribus hisce inculcarunt verbis: *Cautio nobis adhibenda est, ne præposteriorum antiquitatis aut novitatis studium nobis imponant.* Nam ut recentior quis optimè de Philosophia meritus observat, Aristotelem in quibusdam non sequi prudenter est, passim refellere impudentis; in singula ejus verba jurare simplicis & creduli, passim carpere invidi est. v. Auctorem. C. 2.

---

COROLLARIA PNEUMATICA.

- I. In Pneumaticis rectissimè Deus definitur per Spiritum independentem.
- II. Et quodd sit Deus, & quodd sit Spiritus independens, ex Naturâ sciri potest.
- III. Quodd Athei dentur speculativi, cum B. Hülsemanno affirmare, & cum B. Calvio negare, salvâ veritate, & quod utrique debetur, auctoritate, possumus.

S. D. G.









Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn796463204/phys\\_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796463204/phys_0019)

DFG





๖๘ ) ๑๗ ( ๖๙

שהוכות תולה לה ר' אליעזר אומר כל הנ' כלו למדת חפלות ר' יהושע אומר ר' חפלות מתשעה קבין פרישות הוא היה אר' ורשע עירום ואשה פרושה ומבות פרוש

Wagenseilio nostro interprete : *Dixit filius homo docere filiam Scripturam sacram , nam si ur (aqua amaras adulterii suspecta,) securus literarum studium (ex merito aliquo præstisti , de quo antea actum fuerat ,) vim no-futuram. Contra R. Elieser ait : Quisquis filiam t , is eam docet amandi artem ( ex sententia . Josua ait : Magis expetit mulier unum Cabum am novem Cabos vita solitaria . Idem ore fre- opius qui inspiens , improbus qui astutus , Mulier era Pharisæorum , ecce ista sunt , que orbi im-*

Hæc celebris illa est de Fœminarum Eruditio- Eliesere quidem prolatæ , a R. Josua quoque con- sed præcipuum est , a Magistris etiam per halca obata , de qua nunc pluribus erit dispiciendum; ostrema verba , et si primario huc non spectant , itata , cæteris addere visum nobis fuit , ut ex fœ- cujus hic explicite facta est mentio , ac Vulne- m , quorum itidem Mischna meminit , ad læsionem להראות שהוא עני וצנו sec. Bartenoriens. in vultum simulatò demittentium atque aliorum modo ad parietes declinantium , discas , nomen cui & fœminæ adhaerent , non officii , aut eru- , ut vulgus putat , titulum ; & intolerabili insuper ocripsi , vel solo tactu aliorum se pollui creden- C tiuum